



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria et disputationes scholastica in Summam D.
Thomae Aquinatis**

Nazarius, Johannes P.

Coloniae, 1621

Articvlvs VI. Vtrum natura humana fuerit vnita Verbo Dei accidentaliter.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82325](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82325)

magis, & nobilior. & hoc propter adiunctionem vterioris, & nobilioris perfectionis, scilicet animæ rationalis, ut etiam supra dictum est.

Propter a-
pud Arist.
3. metab.

Ad secundum dicendum, quod verbum Damasc. potest intelligi dupliciter. Vno modo, ut referatur ad humanam naturam: quæ quidem non habet rationem communis speciei, secundum, quod est in vno solo individuo: sed secundum, quod est abstracta ab omni individuo, prout in vnda contemplatione consideratur: vel secundum, quod est in omnibus individuis. Filius autem Dei non assumpsit humanam naturam, prout est in sola consideratione intellectus: quia sic non assumpsisset ipsam rem humanam naturam: nisi forte diceretur, quod humana natura est quedam idea separata, sicut Platonicus posuerunt hominem sine materia: sed tunc filius Dei non assumpsisset carnem: contra illud, quod dicitur Luc. vii. Spiritus carnis, & ossa non habet, sicut me videtis habere. Similiter etiam non potest dici, quod filius Dei assumpsit humanam naturam, prout est in omnibus individuis eiusdem speciei: quia sic omnes homines assumpsisset. Relinquitur ergo, ut Damascenus postea dicit in eodem libro, quod assumpsit naturam humanam in atomis, id est, in individuo: non quidem in alio individuo, quod sit suppositum, vel hypostasis illius naturæ, quam in persona filij Dei. Alio modo potest intelligi dictum Damascen. ut non referatur ad naturam humanam, quasi ex vnione animæ, & corporis non resultet vna communis natura, quæ est humana: sed est referendum ad vnionem duarum naturarum, diuinæ scilicet & humanæ, ex quibus non componitur aliquid tertium, quod sit quedam natura communis: quia sic illud esset naturam prædicari de pluribus: & hoc ibi intendit. Vnde subdit, Neg. enim generatus est, neque vnquam generabitur alius Christus ex Deitate, & humanitate, in Deitate, & humanitate Deus perfectus, idem & homo perfectus.

Ad tertium dicendum, quod duplex est principium vite corporalis. Vnum quidem effectuum: & hoc modo Verbum Dei est principium omnis vite. Alio modo est aliquid principium vite formaliter: cum enim viuere viuentibus sit esse (ut dicit Philosophus 2. de anima) sicut vnusquodque formaliter est per formam suam: ita corpus viuunt per animam, & hoc modo non ponitur corpus viuere per Verbum, quod non potest esse corporis forma.

Ratio quesiti & ordinis.

RATIO quesiti est ea, quam primum continet argumentum, in cuius solutione S. D. ait, quosdam hac ratione conuictos negasse vnionem animæ & corporis in Christo: quorum opinionem in fine corporis hæreticam esse pronunciat: ratio igitur hæc cum hæresi consecuta præfenti quesito præbuit occasionem. De ordine verò præter ea, quæ supra notauimus in introductione questionis, vide etiam difficultatem quam hic proponit & soluit Suarez in suo Commentar. cui consonat Vasquez in sua breui notat. ad hunc art.

Forma Textus.

VNICA conclusione cum vno ex eius probatione deducto corollario respondetur quesito.

CONCLUSIO est: Necessè est dicere, quod in Christo fuerit anima corpori vnita. Probat: Pertinet ad rationem speciei humanæ, quod anima corpori vnatur: at Christus dicitur homo vniocè cum alijs hominibus, tanquam eiusdem speciei existens; ergo necesse est dicere, &c. Maior probatur: quia forma non constituit speciem, nisi per hoc quod sit actus materiæ; ergo.

A Probat: assumptum: quia generatio, per quam natura speciem intendit, ad hoc terminatur ut scilicet forma sit actus materiæ. Minor verò probatur auctoritate Apostoli ad Philip. 2. dicentis: In similitudinem hominum factus.

COROLLARIUM est: contrarium dictæ conclusionis est hæreticum. Probat: quia derogat veritati humanitatis Christi.

Expositio Textus.

HVIUS articuli Commentarius breuiter est ex interpretum scriptis indicandus: Notandum est igitur primò. Conclusionem S. D. esse firmam fidei veritatem, ut ex sacris Concilijs, Pontificum decretis, Sanctorum dictis & diuinarum Scripturarum oraculis probant Medina & Porreca super hoc articulo. Eandem pluribus argumentis probat S. D. in 4. cont. gent. c. 37. Ex quibus euidenter sequitur opinionem Platonis asserentis, animam rationalem vniri corpori, non ut formam informantem, sed ut motorem esse contra fidei veritatem.

Secundo patet, sententiam conclusioni D. Thomæ oppositam esse manifestam hæresim, non primò ab Alexandro tertio definitam, ut ait Sotus in 3. dist. 6. q. 3. sed ab antiquissimis Concilijs condemnatam, scilicet ab Ephesino primo can. 13. à Calcedonensi art. 5. & à sexta Synodo Generali, art. 11. & in Concilio Constant. art. 11. Et in epist. Sophronij. Quod etiam ratione probatur: quia Conclusio præfentis articuli est veritas reuelata eisdem testimonijs, quibus diuina Scriptura docet Christum esse verum hominem, actus humanos exercuisse, fuisse mortuum & resurrexisse: in his enim huius articuli conclusio clauditur manifestè; igitur hæc conclusio non solum ex Pontificum, & conciliorum definitione, sed etiam ex diuinæ Scripturæ reuelatione firmam semper habuit fidei certitudinem; ac proinde non rectè Magister in 3. dist. 6. oppositam sententiam refert inter opiniones probabiles, cum fuerit semper hæresis manifesta.

Tertiò Lege si placet tria argumenta, quæ contra concl. assert & soluit Aluar.

Quartò Videnda est explicatio Caiet. circa probationem maioris.

Quintò Circa minorem asserentem Christum dici hominem vniocè cum alijs hominibus legenda est dubitatio Med. cum eius solutione.

Sextò Circa dictum Apostoli assumptum ad prob. minoris notanda est explicatio Caiet.

Septimò Videnda sunt quæ circa responsiones argumentorum scribunt Cai. & Medina, quæ ad huius litteræ intelligentiam sunt maximè necessaria; specialiter autem pro intelligentia responsionis ad tertium legenda est tertia dubitatio Medinæ quærentis, vtrum diuinitas in Christo potuerit esse loco animæ, intellectus & mentis; vbi respondens ad quintum suum argumentum ait: Si Deus separaret ab anima Christi intellectum & voluntatem creatam; tunc animam producturam esse intellectum sine intellectu; quod dictum optimis argumentis impugnat Aluar.

ARTICVLVS VI.

Vtrum natura humana fuerit vnita Verbo Dei accident aliter.

AD sextum sic proceditur. Videtur, quod humana natura fuerit vnita Verbo Dei accident aliter. 1. q. 17. a. 1. c. 2. d. 1.

Dicit

6. 40. 3. a. 2. Dicit enim Apost. Philip. 2. de filio Dei, quod habitum inuenit est, ut homo. Sed habitus accidentaliter aduenit ei, cuius est: siue accipiat habitus, prout est unum de decem predicamentis, siue prout est species qualitatis. Ergo humana natura accidentaliter unita est filio Dei.

Præterea, Omne quod aduenit alicui post esse completum, aduenit ei accidentaliter: hoc enim dicimus accidens, quod potest, & adesse, & abesse alicui præter subiecti corruptionem. Sed natura humana natura aduenit ex tempore filio Dei, habenti esse perfectum ab æterno. Ergo aduenit accidentaliter.

Præterea, Quicquid non pertinet ad naturam, seu essentiam alicuius rei, est accidens eius: quia omne quod est, aut est substantia, aut accidens. Sed humana natura non pertinet ad essentiam, vel naturam diuinam filij Dei: quia non est facta unio in natura, ut supra dictum est. Ergo oportet, quod natura humana accidentaliter filio Dei adueniat.

Præterea, Instrumentum accidentaliter aduenit. Sed humana natura in Christo fuit diuinitatis instrumentum. Dicit enim Damascenus in 3. libro, quod caro Christi instrumentum diuinitatis existit. Ergo videtur, quod humana natura fuerit filio Dei unita accidentaliter.

Sed contra est, quod illud, quod accidentaliter prædicatur, non prædicatur quid, sed quantum, vel quale, vel aliquo alio modo se habens. Si ergo humana natura accidentaliter adueniret, cum dicitur, Christus est homo, non prædicaretur quid: sed quale, aut quantum, aut aliquo alio modo se habens. Quod est contra decretalem Alexand. Papæ dicentis, Cum Christus sit perfectus Deus, & perfectus homo, quia temeritate audent quidam dicere, quod Christus, secundum quod est homo, non est quid.

Respondendo dicendum, quod ad huius questionis euidentiam sciendum est, quod circa mysterium unionis duarum naturarum in Christo, duplex hæresis insurrexit. Vna quidem confundentium naturas: sicut Eutichetis & Dioscori, qui posuerunt, quod ex duabus naturis est constituta una natura, ita quod consentiretur Christum esse ex duabus naturis, quasi ante unionem distinctis: non autem in duabus naturis, quasi post unionem naturarum distinctione cessante.

Alia verò fuit hæresis Nestorij & Theodori Mosuesteni, separantium personas: posuerunt enim aliam esse personam filij Dei, & filij hominis. Quas dicebant sibi inuicem esse unitas. Primum quidem secundum inhabitationem: in quantum scilicet verbum Dei habitauit in illo homine sicut in templo. Secundo per unitatem affectus, in quantum scilicet voluntas illius hominis est semper conformis voluntati Verbi Dei. Tercio secundum operationem: prout scilicet dicebat hominem illum esse Verbi Dei instrumentum. Quarto secundum dignitatem honoris: prout omnis honor, qui exhibetur filio Dei, coexhibetur filio hominis propter coniunctionem ad filium Dei. Quinto secundum æquiuocationem, id est communicationem nominum: prout scilicet dicimus illum hominem esse Deum, & filium Dei. Manifestum est autem istos omnes modos accidentalem unionem importare. Quidam autem posteriores magistri, putantes se has hæreses declinare, in eas per ignorantiam inciderunt. Quidam enim eorum unam concesserunt Christi personam, sed posuerunt duas hypostasies, siue duo supposita, dicentes hominem quandam compositum ex corpore, & anima à principio suæ conceptionis esse assumptum à Dei Verbo. Et hæc est prima opinio, quam magister ponit in 6. distinct. tertij libri sententiarum. Alij verò volentes seruare unitatem personæ, posuerunt Christi animam non esse corpori unitam: sed hæc duo separatim ab inuicem, esse unita Verbo accidentaliter: ut sic non cresceret numerus personarum. Et hæc est tertia opinio, quam magister ibidem ponit. Veraque

Naz. in D. Tho. 3. p. art. 16.

A autem harum opinionum incidit in hæresim Nestorij. Prima quidem: quia idem est ponere duas hypostasies, vel duo supposita in Christo, quod ponere duas personas, ut supra dictum est. Et si fiat vis in nomine persona, considerandum est, quod etiam Nestorius utebatur unitate personæ propter unitatem dignitatis & honoris. Vnde etiam sexta Synodus diffinit anathematizatum, qui dicit unam personam secundum dignitatem, & honorem, & adorationem, sicut Theodorus, Nestorius insipientes conscripserunt. Alia verò opinio incidit in errorem Nestorij, quantum ad hoc, quod posuit unionem accidentalem: non enim differt dicere, quod Verbum Dei unitum est homini Christo

B secundum inhabitationem, sicut in templo suo (sicut dicebat Nestorius) & dicere, quod unitum fuit Verbum Dei homini secundum inductionem, sicut Habetur in vestimento: sicut dicit tertia opinio; quæ etiam conc. 2. conc. 2. c. 40. conc. 2. c. 40. anima & corpus non sunt unita. Fides autem Catholica medium inter prædictas positiones tenens, non dicit unionem factam Dei, & hominis secundum essentiam, vel naturam, neque etiam secundum accidens: sed medio modo secundum subsistentiam, seu hypostasim.

Vnde in sexta Synodo dicitur, Cum multis modis unitas intelligatur, qui iniquitatem Apollinarij, & Eutichetis sequuntur, interemptionem eorum, qui conuenerunt tollentes, id est, interimentes utrang. naturam, unionem secundum confusionem dicunt: Theodori autem & Nestorij sequaces, diuisione gaudentes, affectualem unitatem introducunt: sancta verò Dei Ecclesia, viriusque perfidia impietatem reijciens, unionem Verbi Dei ad carnem secundum compositionem constituit: quod est secundum subsistentiam. Sic ergo pater, quod secunda trium opinionum, quas magister ponit, quæ asserit unam hypostasim Dei, & hominis, non est dicenda opinio, sed sententia Catholica fidei: similiter etiam prima opinio quæ ponit duas hypostasies, & tertia, quæ ponit unionem accidentalem, non sunt dicende opiniones, sed hæreses in Concilio ab Ecclesia damnata.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut Damasc. dicit in 3. libr. non necesse est omnifariam, & indefectiue assimilari exempla: quod enim est in omnibus simile, idem utique erit, & non exemplum, & maxime in diuinis: impossibile enim est simile exemplum inuenire in omnibus & in Theologia, id est in Deitate personarum, & in dispensatione, id est in mysterio Incarnationis. Humana ergo natura in Christo assimilatur habitui, id est vestimento, non quidem quantum ad accidentalem unionem: sed quantum ad hoc, quod Verbum videtur per humanam naturam, sicut homo per vestimentum. Et etiam quantum ad hoc, quod vestimentum mutatur: quia scilicet formatur secundum figuram eius, qui induit ipsum, qui à sua forma non mutatur propter vestimentum. Et similiter humana natura assumpta à Verbo Dei est meliorata, ipsum autem Verbum Dei non est mutatum: ut August. exponit in libro 83. quæst.

Ad secundum dicendum, quod illud, quod aduenit post esse completum, accidentaliter aduenit, nisi trahatur in communionem illius esse completi: sicut in resurrectione corpus aduenit animæ præexistenti: non tamen accidentaliter, quia ad idem esse assumetur, ut scilicet corpus habeat esse vitale per animam. Non est autem sic de albedine: quia aliud est esse albi, & aliud est esse hominis, cui aduenit albedo. Verbum autem Dei ab æterno esse completum habuit secundum hypostasim, siue personam: ex tempore autem aduenit ei natura humana non quasi sumpta ad unum esse, prout est natura, sicut corpus assumitur ad esse animæ, sed ad unum esse, prout est hypostasis vel persona. Et

ideo

Ad humana naturam non vnitur accidentaliter filio A
Dei.

Ad terciū dicendum, quod accidens diuiditur contra
substantiam. Substantia autem (vt patet 5. Metaph.)
duplīter dicitur. Vno modo pro essentia, siue natura:
alio modo pro supposito, siue hypostasi. Vnde sufficit ad
hoc, quod non sit vnio accidentalis, quod sit facta a vnio
secundum hypostasi, licet non sit facta a vnio secundum
naturam.

Ad quartum dicendum, quod non omne, quod assu-
mitur, vt instrumentum, pertinet ad hypostasi assu-
mentis, sicut patet de securi, & gladio, nihil tamen pro-
hibet illud, quod assumitur ad unitatem hypostasis, se
habere, vt instrumentum: sicut corpus hominis, vel
membra eius. Nestorius ergo posuit, quod natura hu-
mana est assumpta a Verbo solum per modum instru-
menti, non autem ad unitatem hypostasis. Et ideo non
concedebat, quod homo ille verē esset filius Dei, sed in-
strumentum eius. Vnde Cyrillus dicit in epistola ad Mo-
nachos Aegypti: Hunc Emmanuelem, id est Christum,
non tanquam instrumenti officio assumptum dicit
Scriptura, sed tanquam Deum verē humanatum, id
est hominem factum. Damascenus autem posuit natu-
ram humanam in Christo esse, sicut instrumentum ad
unitatem hypostasis pertinens.

Sensus & ordo quesiti.

S E N S U M quesiti & ordinem huius articuli ad
precedentem explicat optimē Caiet. & post
eum Med. Suar. & Val.

Forma Textus.

R Efert primo S. D. errores circa præsentem
materiam. Secundo respondet quesito vni-
ca conclusionē. Tercio ex eius probatione de-
ducit vnum corollarium.

Errores in textu relati secundum veritatem
sunt duo tantum; secundum apparentiam autem
sunt quatuor. Primus fuit Eutichetis & Diof-
cori confundentium naturas. Secundus fuit
Nestorij & Theodori Monfuesteni separan-
tium personas, ad quem reducuntur duo alij
Magistrorum errores ab eo sola verborum ap-
parentia seu modo loquendi differentes. Pri-
mus est asserentium vnā in Christo personam,
sed ponentium in eo duas hypostasies siue sup-
posita. Secundus est negantium Christi animam
esse corpori vnitam, & dicentium hæc duo sepa-
rata ab inuicem esse vnita Verbo accidentaliter,
vt sic non cresceret numerus personarum. Quos
omnes errores & posteriorum reductionem ad
Nestorij errorem; declarat perspicuē S. D. in
textu.

C O N C L U S I O est: Fides Catholica medium inter
prædictas positiones tenens non dicit, vnionem Dei &
hominis factam fuisse secundum essentiam vel natu-
ram, neque etiam secundum accidens, sed medio mo-
do secundum subsistentiam seu hypostasi. Probatur
primò in argumento sed contra: Si humana natu-
ra accidentaliter adueniret, cum dicitur Christus
est homo, non prædicaretur quid sed quantum
vel quale vel aliquo alio modo se habens: sed
hoc est falsum & erroneum; ergo. Probatur as-
sumpti consequentia; quia illud quod acciden-
taliter prædicatur non prædicat quid, sed quan-
tum vel quale vel aliquo alio modo se habens: er-
gò si humana natura &c. falsitas autem & error
consequentis probatur; quoniam hoc est contra
decretalem Alexandri tertij Papæ dicentis: Cum
Christus sit perfectus Deus & perfectus homo, quate-
meritate audent quidam dicere, quod Christus secun-
dum quod homo non est quid? Secundo Probatur
conclusio autoritate sanctæ Synodi dicentis:

Cum multis modis vnitas intelligatur, &c. vt in tex-
tu.

C O R O L L A R I U M est: Secunda trium opinio-
num, quas Magister ponit in tertio sent. dist. 6. que asse-
rit vnā hypostasi Dei & hominis non est dicenda o-
pino, sed sententia Catholica fidei: prima verò opinio
que ponit duas hypostasies, & tertia que ponit vnionem
accidentalem, non sunt dicenda opiniones, sed hæreses
in Concilijs ab Ecclesia damnatæ.

Expositio Textus.

H A E R E S E S in textu relatas latē refert &
confutat S. D. in 4. contra gent. a cap. 38. vsque
ad 39. Et post eum Bellarminus tom. 1. libr. 3. de
Christo a cap. 2. vsque ad 8. Suarez disp. 7. sect. 2. & 3.
& Valentia super hac quæst. puncto 1. & 2. Porrecta
latē refert Concilia, & longo discursu probat
verba, quæ S. D. allegat ex sexta Synodo, verē ex
quinta, non autem ex sexta vt facile credi posset,
fuisse desumpta. Et sensum etiam conclusionis
explicat eruditē.

D E V E R I T A T E conclusionis disputat Med.
in suo Comm. Suar. disp. 8. sect. 1. Valq. disp. 17. & Al-
uar. super hoc a.

Circa primam probat. conclus. in argumen. sed
contra ex decretali Alexandri tertij, quia recen-
tiores in eius intelligentia sine causa vacillant &
verba profundunt: Sciendum est definitionem
Alexandri Tertij in illa Decretali, cum Christus
fuisse desumptam ex Epistola dicti Pontificis ad
Episcopum Remensem, quæ refertur in Conci-
lio Later. sub eodem Pontifice celebrato, p. 49. c.
20. in qua epistola narrat quosdam Doctores Pa-
ris. & Remens. asseruisse Christum secundum
quod homo, non esse aliquid, & mandat Episco-
po Rem. vt conuocatis Doctoribus Paritenfibus
& Remensibus & aliarum ciuitatum interdicat
sub anathemate ne quis audeat dicere Christum
secundum quod est homo non esse aliquid; cuius
rationem asfert in Decretali dicens: Quia sicut
Christus est verus Deus, ita verus homo ex animaratio-
nali & humana carne subsistens: Hunc autem esse
illum errorem, quem refert tertio loco Magi-
ster in tertio sent. dist. 6. docet Franciscus Penna
ex glossa Ioannis Andreæ in secunda parte Direc-
torij, pag. 180. Vbi refert expositionem dicti
Authoris super cap. cum Christus, de hæreticis di-
centis, quosdam asseruisse Christum assumpsisse
humanam formam vt habitum, & contineri po-
tius sub prædicamento habere quàm substantiam;
sed malè (inquit) dicebant: quod hic reprobat: nec
obstat illa auctoritas Apostoli ad Philip. 2. In similitudi-
nem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo;
quia & humana essentia, & forma habet habitum ho-
minis; quare habitus non negat essentiam, nisi ponere-
tur negatiua: vt si diceretur habitus solum, vel tan-
tum, quod negatiua sapit. Hæc ibi. Ex quibus
patet primò Suarezium & Vasquezium immeritò
prædicto Pennæ tribuisse, quod dixerit defini-
tionem dictæ Decretalis cum Christus esse solum
contra Manichæos, qui negando veram in Chri-
sto humanitatem, consequenter dicebant, Chri-
stum vt hominem non esse aliquid, sed potius ni-
hil: quia secundum eos non fuit verus homo, sed
apparēs tantum in phantasia. Secundo patet, Valq.
contra sensum illius Decretalis asserere eam in
prima parte loqui aduersus errorem Manichæo-
rum, tunc denuò resurgentem; secunda verò
parte vbi definit, Christum esse verum homi-
nem sicut est verus Deus, damnare errorem di-
centium, Verbum induisse humanitatem velu-
ti vestem, & eam in unitatem hypostasis non
assumpsisse: Nam cum ex tenore dictæ episto-
læ cla-

Suarezij &
Vasquezij
dictam re-
ferrunt.

Cont. Valq.

lae clare constet, eam scriptam fuisse aduersus A quosdam Doctores Parisienses & Remenses, nec sit verisimile tales Doctores in tam crassam haeresim Manichaeorum incidisse; magis credendum est, eos tertiam apud Magistrum opinionem hic à D. Thoma relata habuisse, & eam ab Alexandro III. in ea Decretali damnari. Vnde & S. D. illius decretalis sensum magis quam verba respiciens, loco illius vocis *aliquid* posuit *quid*, insinuans ea voce significari aliud quid, sumentes quid proprie & strictè, prout distinguitur contra quantum; quale, ad aliquid & alia praedicamenta. Si autem Verbum induisset humanitatem solum ad modum habitus, non assumendo eam ad unitatem personalem, non esset aliquid in quantum homo; quia non esset quid, sed esset habitus ut ita loquar. Quod autem adducit Vasq. ex Vgone de S. Victore, confirmat id quod diximus de mente D. Th. nimirum decretalem illam damnare tertiam opinionem ex Magistro in textu relata. Hunc enim errorem affirmat Hugo per eam Decretalem condemnari; quod etiam affirmant Scotus & Caiet. Rationes autem quibus nititur Vasquez valde friuolae sunt, & earum solutio patet ex dictis, & facile possent etiam in ipsum retorqueri; quia verus homo, de quo loquitur illa decretalis, non solum distinguitur à phantastico & apparenti, sed etiam ab eo qui naturam habet humanam secundum se totam, vel tantum secundum partes accidentaliter unitam.

DISPUTAT Suar. in suo Commen. de vi rationis, quam sibi format ex littera, & eius efficacitatem defendit.

Vasq. in allegata disputat. cap. 3. productis multis SS. Patrum dictis, probat unionem duarum naturarum in vna Verbi persona rectè vocari naturalem & essentialē siue secundum essentialitatem. His adde Concilium Alexandr. in epistola ad Nestorium, quae est 10. apud Cyrillum, Anathematismo tertio, & Synodum quintam Constantinopolitanam, & Concilium Ephesinum, in quo damnatur, qui non constituitur duas naturas coniunctas in Christo eo conueniunt, qui per unitatem factus est naturalis, & sextam Synodum generalem, act. 11. in epist. Sophronij approbata ab eodem Concilio. Sed quoniam eiusmodi voces & modi loquendi haeresim Eutichianam sonare satis aperte videntur, eorum sensum explicat cum Suar. disput. 8. sect. 1. in fin. & Asturicens. q. 7. pag. 864. dicens unionem hanc à Patribus quandoque dici naturalem; quia duae naturae verè & secundum rem in vna Christi persona sunt unitae; quam explicationem ascribit Cyrillo & Io. Maxentio, quo etiam sensu affirmat eandem unionem dictam fuisse à quibusdam Patribus essentialē teste Damasceno lib. 3. de Fide cap. 3. & Niceta lib. 3. Thesauri Orthodoxae fidei, cap. 3. & 38. quia scilicet duae naturae non solà opinione vel apparentia, sed verè & secundum rem unitae fuerunt; & ipsa unio non phantastica & imaginaria, sed vera & realis extitit, ut bene explicat Suarez loco notato. Qui tamen loqueri diuinus, ut scitè Asturicensis aduertit, cum veneratione potius quam imitatione est suscipiendus. Sed obseruandum est Concilia & Patres praedicto modo loquentes aliquid addere, quo declarant unionem hanc dici naturalem, prout distinguitur ab unionē ficta & secundum solam apparentiam aut secundum affectum &c. Vnde Cyrillus loco notato ait, coniunctionem illam non fieri secundum auctoritatem vel dignitatem aut affectum, sed potius secundum naturalem unionem, id est,

veram & realem, ut explicat ibi Cyrillus. Cum autem physicum idem sit quod naturale, colligat hinc obiter lector motionem illam, quae se tenet ex parte potentiae, & in ipsa recipitur, & quae est motio per modum causae verè & proprie agentis, quae nimirum Deus verè & efficaciter facit, ut voluntas cooperetur & consentiat, in hoc sensu dici physicam siue naturalem id est veram & realem, prout ab ea motionē distinguitur quae se tenet solum ex parte obiecti, & est per modum suadentis, consiliantis & allicientis; & dicitur motio moralis ut alibi notauimus.

Deniq. Caiet. explicat optimè Corollarium.

Responsiones ad argum. declarat hic optimè Caiet. & post eum Medina & Suarez: Vide etiam apud Caietan. in opusculis, tom. 3. tractat. 1. Orationem secundam coram Alexandro sexto de vñione Verbi cum natura humana, ubi latè discutitur circa materiam responsionis ad secundum argumentum D. Thomae, praesertim verò circa exempla, quibus explicari solet unio Verbi hypostatica cum humana natura. Quae omnia & quaedam alia, ut deficientia rejicit Bellarm. tom. 1. lib. 3. de Incarnatione, cap. 8. specialiter autem exemplum de anima & corpore, quod approbant hic S. D. Caiet. & alij expositores, quod vtritur Iustinus in lib. de recta fidei confessione. Athanasius in Symbolo, & Augustinus in epist. 3. ad Volusianum: deficit enim (inquit) hoc exemplum. Primo: quia anima & corpus sunt naturae imperfectae. Secundo: quia faciunt vnam naturam. Tertiò: quia neutrum trahit alterum ad suam subsistentiam, sed vtrunque pendet à tertia subsistentia, quae est totius compositi; in hoc autem mysterio Verbum in se perfectè subsistens trahit ad se humanam naturam. Sed respond. cum D. Thom. hic ad primum ex Damasceno non esse necesse ut omnifariam & indefectiue assimilentur exempla: nam quod est in omnibus simile idem vtrique erit & non exemplum, & maxime in diuinis, &c. quamuis autem exemplum de anima & corpore in duobus primis verè deficiat: in tertio tamen valde simile: Certum est enim animam intellectuam utpote immortalem & à materia minimè dependentem suam propriam habere subsistentiam, quam corpori ac proinde etiam toti composito communicat: non enim duae, sed vna tantum est in homine subsistentia, quae primo conuenit animae ut quò in actu, & ut quod non in actu sed medio modo inter potentiam & actum: Secundo verò conuenit composito, ut quod in actu & completè: Anima verò à corpore separata conuenit illi eadem subsistentia, ut quod in actu, sed incompletè, quam in resurrectione corpori & toti composito communicabit; cui tamen alio modo conueniet scilicet completè: trahetur itaque corpus tunc ad propriam animae subsistentiam; quamvis illa composito completè congruat: Exemplum autem ad hoc solum proponitur, ut intelligamus humanitatem assumi ad esse personale siue ad subsistentiam; licet differant verbum & anima; quod Verbum completè subsistit ab aeterno; anima verò à corpore separata semper persona est & incompletè subsistit.

Circa eandem respons. ad secundum aduerte, quod esse dicitur analogicè de esse quod est essentia, & de esse quod est subsistere siue subsistentia, & de esse quod est existere siue existentia: esse primo modo dicitur esse prout est naturae; esse verò secundo modo dicitur esse prout est hypostasis vel personae; esse verò tertio modo est

Obi. Bellar.

Sol.

do est esse naturæ vt quo siue vt principij formalis, personæ verò vt quod per ipsum existit; rursus ex eo quod aliquod trahitur ad esse primo modo sumptum; sequitur etiam, vt trahatur ad esse secundo & tertio modo sumptum: quoniam in substantijs ea quorum vna est essentia, vna etiam est hypostasis, vt patet in materia & forma; & consequenter etiam vna est existentia: tum quia hæc est effectus essentia; tum etiam quia vni supposito vna tantum conuenit existentia substantialis. Potest tamen aliquid assumi siue trahi ad esse secundo modo, id est ad esse prout est hypostasis absque hoc quod trahatur ad esse primo modo, id est prout est natura, vt patet in mysterio Incarnationis; ad esse verò tertio modo sumptum, id est ad esse existentia; nihil trahi potest secundum D. Tho. & eius discipulos, nisi prius trahatur ad esse secundo modo sumptum, scilicet prout est hypostasis siue prout idem est quod subsistere aut subsistentia, vt suo loco probabitur. Cum igitur ait S. D. naturam humanam ex tempore aduenire Verbo, non quasi assumptam ad vnum esse prout est natura, loquitur de esse quod est essentia; cum autem subdit: sed ad vnum esse prout est hypostasis vel personæ, loquitur de esse secundo modo id est de subsistentia, & consequenter etiam de existentia: quod etiam non obscure colligitur ex verbis præmissis: dixerat enim corpus in resurrectione esse assumendum ad idem esse: vt scilicet habeat esse vitale per animam, non autem sic esse de albedine; quia aliud est esse albi & aliud esse hominis, cui aduenit albedo. Et ex his patet, quantum valeant quæ circa responsum ad secundum scribit Suar. contra quosdam discipulos D. Th.

Circa eandem responsi aduerte propositionem illam: Illud quod aduenit alicui post esse completum, accidentaliter aduenit, nisi in abatu in communionem illius esse completi; intelligendam esse de eo, quod trahitur ad esse alterius, tribuendo ei aliquid esse substantiale: Nam si Deus vniret sibi personaliter accidentia, illa traherentur ad esse Dei, & tamen vnirentur accidentaliter; quia ex eorum vnione non resisteret compositum substantiale, nec Deo tribuerent aliquod esse substantiale.

ARTICVLVS VII.

Vtrum vnio natura diuina, & humana sit aliquid creatum.

AD septimum sic proceditur. Videtur, quod vnio natura diuina, & humane, non sit aliquid creatum. Nil enim creatum in Deo potest esse: quia quicquid est in Deo, Deus est. Sed vnio est in Deo: quia ipse Deus est humane natura vnitus. Ergo videtur, quod vnio non sit aliquid creatum.

Præterea, Finis est potissimum in vnoquoque. Sed finis vnionis est diuina hypostasis, siue persona, ad quam terminata est vnio. Ergo videtur, quod huiusmodi vnio maxime debeat iudicari secundum conditionem diuina hypostasis, quæ non est aliquid creatum.

Præterea, Propter quod vnumquodque, & illud magis, vt dicit Philosophus. Sed homo dicitur esse creator propter vnionem. Ergo multo magis ipsa vnio non est aliquid creatum, sed creator.

Sed contra, Omne quod incipit esse ex tempore, est creatum. Sed vnio illa ab æterno non fuit, sed incipit esse ex tempore. Ergo vnio est aliquid creatum.

Respondetur dicendum, quod vnio, de qua loquimur,

A est relatio quadam, quæ consideratur inter diuinam naturam, & humanam, secundum quod conueniunt in vna persona filij Dei. Sicut autem in prima parte dictum est, omnis relatio, quæ consideratur inter Deum, & creaturam, realiter quidem est in creatura (per cuius mutationem talis relatio innascitur) non autem est realiter in Deo, sed secundum rationem tantum: quia non innascitur secundum mutationem Dei. Sic ergo dicendum est, quod hæc vnio, de qua loquimur, non est in Deo realiter, sed secundum rationem tantum: in humana autem natura, quæ creatura quadam est, realiter est: & ideo oportet dicere, quod sit quiddam creatum.

B Ad primum ergo dicendum, quod hæc vnio non est in Deo realiter, sed secundum rationem tantum, dicitur enim Deus vnitus creatura, ex hoc, quod creatura est vnita Deo absque eius mutatione.

Ad secundum dicendum, quod ratio relationis, sicut & motus dependet ex fine, vel termino, sed esse eius dependet à subiecto. Et quia vnio talis non habet esse reale, nisi in natura creatæ (vt dictum est) consequens est, quod habeat esse creatum.

Ad tertium dicendum, quod homo dicitur, & est Deus propter vnionem, in quantum terminatur ad hypostasin diuinam. Non tamen sequitur, quod ipsa vnio sit creator, vel Deus: quia quod aliquid dicatur creatum, hoc magis respicit esse ipsius, quam rationem.

Sensus quesiti.

TITVLVS articuli declaratur in textu; vbi multas eius significationes afferunt expositores: Quærit autem hic S. D. de vnione, prout est relatio. Primum quia nomen hoc vnio secundum communem vsum significat formaliter relationem. Secundum, quia de vnione, prout significat substantialem coniunctionem, iam disputauerat in præf. articulo.

Forma Textus.

CONCLUSIO est: Vnio de qua loquimur est aliquid creatum. Probatur: omnis relatio quæ consideratur inter Deum & creaturam, est aliquid creatum; at vnio de qua loquimur est relatio, quæ consideratur inter Deum & creaturam, realiter quidem est in creatura, non autem est realiter in Deo; ergo est quid creatum. Consequentia patet; assumptum autem probatur: quia talis relatio nascitur in creatura per eius mutationem; in Deo verò non oritur secundum eius mutationem; ergo. Minor verò principalis argumenti probatur: quia vnio de qua loquimur est relatio quædam, quæ consideratur inter diuinam naturam & humanam, secundum quod conuenit in vna persona filij Dei.

Expositio Textus.

QUID sit vnio quæ idem est, quod gratia vnionis, declarat Caiet. inf. q. 7. a. vlt. circa res. ad 3.

Controuersias, quas partim in articulo præcedente, partim in hoc, & partim in articulo sequenti tractant expositores, ad articulum sequentem remittimus: vbi commodius poterunt expediri. Hæc verò sunt quinque. Prima: an actio vnionis naturam humanam supposito diuino, aliquem habeat terminum substantialem, & quid sit hic terminus? Secunda: an per actionem vnionis fiat aliquid in humanitate? Tertia: an terminus vnionis seu incarnationis vel assumptionis sit aliquid creatum? Quarta: quid sit fundamentum vnionis quæ est relatio? Quarum solutioni necessaria omnino est doctrina sequentis articuli. V.